DE
SACROSANCTA, ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO

IV. KALENDAS JUNII MDCCLXXIV.

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XIV.


ABBAS EMMANUEL GREGORJ

PATRITIUS MESSANENSIS,

EX MARCHIONIBUS SCYLLACEI, ET CONVICTOR

COLLEGII CLEMENTINI.






ROMÆ MDCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIA CRACAS

SUPERIORUM FACULTATE.



BEATISSIMO PATRI
Ac Domino Noſtro
CLEMENTI XIV


EMMANUEL GREGORJ
FELICITATEM.



Ommodum mihi accidit, BEATISSIME PATER, *ut quam de Sanctiſſima, individuaque* TRINITATE *habui Orationem coram te, Sacroque tuo Senatu, eam Typis conſignatam tu a me tibi offerri ſinas, muneris cujuſdam inſtar, ſane tenuiſſimi. Hujus namque ope, quidquid id eſt, aut qualecumque, video peropportunam mihi latam eſſe occaſionem ſignificandæ palam non tam nomine meo, quam totius* Collegii Clementini, *quod in tui unius eſt Clientela, gratulationis ob eas res maximas, quibus tute demeruiſti tibi jamdudum univerſam Chriſtianam Rempublicam, nedum Ditionem hanc tuam, tuumque hocce pacatiſſimum Imperium. Ferreus enim ſit oportet qui, cum Urbs tota, ac totus pene Orbis geſtire lætitia videatur de tuis tam præclare, tam ſapienter, tam ſalubriter geſtis hoc luſtro jam exacto, auſpicatiſſimoque Summi Pontificatus tui, obmuteſcat ſilen-*

lentio ineptissimo, neque debitæ lætitiæ signa dare quæcumque possit, cum est facultas, contemnat ingratus. Hoc me vitio, meosve laborare in præsens ut quisquam arguat, aut suspicetur non ego committam. Et quum multa mihi suppetere intelligam tuarum laudum præclarissimarum argumenta, quarum commemoratione illustriorem facere possim in ipsa Operis fronte Orationem hanc meam; hæc tamen omnia prætetibo libenter. Atque illud unum maxime in tuorum recte factorum patrimonio collocandum esse jure affirmabo, quod Orbis Christiani Pacificator *audias apud Omnes, quos inter pervagata est jampridem fama ingens cum pietatis ejus, quæ deceat Petri Successorem in Christi Ecclesia gubernanda, tum prudentiæ, consilii, dexteritatis tantæ, quantam reposcere videbantur turbata Reipublicæ tempora, quibus tu tranquillitatem reddideris, animique ab dissidiis, et contentione ad pacis studium revocati. Itaque eo nomine, et Gentium omnium concrescere in dies gratulationem, et Ingeniorum monimenta, egregia quidem, in lucem edi quotidie sub auspiciciis tuis, artiumque optimarum, quæ summum ætate hac nostra in te uno præsidium habent constitutum, specimina non quæcumque evulgari videmus magno cum sacræ, profanæque eruditionis emolumento. Eo et ipse nomine, omnesque Collegæ mei gratulamur tibi ex animo, in hac festa, lætissimaque Divinæ* TRINITATIS *luce, hæc maxima, et tanta dona, quæ ab ejusdem Trinitatis Numine provenerunt tibi ad Ovium tuarum tutamentum, tuorumque Subditorum felicitatem, Pastorum Maxime, idemque Princeps Clementissime. Tu, quæ tua est in omnes benignitas, et clementia, hæc animorum nostrorum sensa comiter excipias, ut soles; nobisque omnibus impartiaris paternam tuam, atque Apostolicam Benedictionem.*

ORA-



ORATIO



UM omnium Christianæ, æternæque Religionis Mysteriorum BEATISSIME PATER summum illud, atque princeps semper extiterit: Deum unum natura, Trinum hypostasi credi ab omnibus opportere, qui semel traditæ Sanctis Fidei regulam rectissimam tenere velint; tum certe profunda inter ejusdem divinæ TRINITATIS arcana, profundissimam esse fateamur necesse est Beatorum omnium electionem ad ipsius beatissimæ TRINITATIS conspectum ineffabilem, ac sempiternum. Atque inde plane est, quod mente perculsum, arcanique majestate conterritum audivimus nuper Apostolum exclamantem! *O altitudo divitiarum Sapientiæ, et Scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*a*) Quis enim hominum altitudinem hanc,

(a) *ad Rom.* XI. *v.* 33.

hanc, tamquam Mare latiſſime patens, ſic tenui ingeniorum cymba tentare, nedum tranſmittere ſit auſus? aut quis Angelorum intellectu ſe deprehendere poſſe arbitretur ſenſum Domini, ejuſque conſilium, quod tempus omne excedit æternitate, quod ſuperat intelligentia omnium mentium facultatem? Atqui illud ego tamen affirmare jure poſſe confido, quod ejuſdem inextricabilis licet, arcani meditatio, ubi illud propius aliquanto inſpicere velimus, Divinis Scripturis facem præferentibus, tantam afferat lucem Chriſtianis omnibus ad morum ſive emendatio nem, ſive emolumentum, ut hinc maximus exſiſtat in eamdem Deitatis TRINITATEM, cujus hodie diem feſtum agimus, Fidelium cultus, et obſequium. Quod quam vere a me dictum ſit, attende quæſo, quamdiu explicatis breviter ea ſuper re ex Patrum ſententia Scripturarum teſtimoniis, id, quod propoſui, luce clarius, aut ego fallor, patère intelligatur.

Præclare omnino, aptiſſimeque ad rei propoſitæ argumentum ſcriptum eſt a Salomone ſapientiſſimo: *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*a*) Id, quod de Amicorum ſocietate eo loci ſtabili, ac firma, nec facili negotio diſſolvenda ſecundum litteram dictum eſſe agnoſcunt verborum Dei enarratores; age altiori, ac myſtico ſenſu intelligamus eſſe pronunciatum cum Hieronymo (*b*) de ſacroſancta, individuàque TRINITATIS in juvandos homines ſocietate. Quis enim Patre amicior nobis, de cujus amicitia teſtem, atque adſertorem habemus chariſſimum Patris ejuſdem uni-

(a) *Eccleſiaſtes* IV. *v.* 12.
(b) *Comment. in hunc loc. Tom.* V. *pag.* 31. *Edit. Paris.* 1579.

unigenitum, qui dixit: *Ipse Pater amat vos*? (*a*) Quomodo autem non diligat Homines Spiritus Sanctus Charitatis, quam diffusam habemus per eumdem Spiritum in cordibus nostris? (*b*) Nam Christi Jesu, qui animam suam posuit pro amicis suis, idest nobis, nosque ipsos non servos, sed amicos appellavit, non opus est multis verbis grandem, quàque major nulla extitit, amicitiam commemorare. Triplicem itaque funiculum habemus, qui nedum difficile, sed ne fieri quidem potest, ut disrumpatur uspiam, siquidem eo, quod sperare omnino fas est, extiterimus illigati: funiculum e Cœlo demissum, quo cingantur suavissime, quo irretiti veniant indeclinabiliter, quo a malis beneficiorum præparatione eruantur certissime, quo ad TRINITATIS conspectum trahantur liberrimè quotquot veniunt, quotquot liberantur; quotquot pertrahuntur ab ipsamet omnipotenti TRINITATE.

Admirandum hoc divinæ attractionis Mysterium tam late patet in divinis Scripturis, ut initio monui, quam quod maxime. Attendamus primum, si placet, unamquamque Summæ TRINITATIS Personam funiculo quodam suo, ut ita dicam, pertrahentem, ut triplici deinde connexo veluti fune, totam agnoscamus TRINITATEM attractricem invictissimam. *Nemo potest venire ad me*, inquit Veritas, *nisi Pater qui misit me traxerit eum*. (*c*) Trahit Pater, ut verbis utar Magni Augustini, Veritatis, Justitiæ, Beatitudinis delectatione (*d*) En funiculum Patris. Veritas enim, quæ tot Sæculis labentibus usque ad nubes (*e*) tan-

(a) *Joan.* XVI. *v.* 27. (b) *Rom.* V. *v.* 4. (c) *Joan.* VI. *v.* 44. (d) *In Joan. Tract.* XXVI. *n.* 11. (e) *Psal.* XXXVI. *v.* 6.

tantummodo pertingebat, quum advenit temporum plenitudo inclinavit Cælos, & descendit ad Homines; immo de Terra veritas ipsa oriri visa est. Justitia quin ipsa quoque cum de Hominibus sollicita prospexisset de Cælo, ita e Cælis, atque nubibus demissa est ad nos a Patre, ut tamquam imbrem serotinum sic Nubes pluerent Justum, & Matutinum Cæli desuper irrorarent. Sed & Beatitudine nullum aptius, nullumque fortius vinculum ab excelsa Patris sede delapsum est ad ima Terrarum. Quid est enim ipsa beatitudo, nisi Christi sui voluptas ineffabilis, qua Pater ad sese alliceret Homines, quos præscivit, atque elegit in ipso ante Mundi constitutionem? Parum dico. Torrens est voluptatis, quo potantur, immo quo inebriantur uberrime ii omnes, qui confusione, atque morte cum Christo, et pro Christo contempta, cum delectatione ab eodem torrente voluptatis ad magnum, spatiosumque Mare trahuntur, ubi jam non sitiant in æternum. O veritatis vis! O Justitiæ frænum! O æternum gloriæ pondus! O Beatitudinis momentum, quo venire nos jubet, immo quo nos delectatione sua ad veritatem, Justitiam Beatitudinem, quod est Christus, trahit Pater, qui misit eum!

Sequitur, ut quomodo Coæternus Patri Filius et ipse virtute sua quos ipsi dedit Pater attrahat ad sese, videamus. *Ego*, inquit ipse apertissime, *cum exaltatus fuero a Terra, omnia traham ad me ipsum*. (*a*) Itane omnia! Quid hocce rei est increata Veritas? Si omnia trahis ad te ipsum, illud qua ratione consistet, quod non semel

(a) *Joan.* XII. *v.* 32.

mel comminatus es per ſanctos Prophetas tuos: *Projiciam vos a facie mea*; (*a*) *projiciens repuliſti nos*(*b*) *et*: *Excuſſiſti impios de Terra*? (*c*) ſed abſit ullum vel minimum mendacii veſtigium ab illius verbis, in cujus ore dolus numquam inventus eſt. Quæ igitur ſunt omnia, quæ trahet ad ſe ipſum Chriſtus exaltatus a Terra „ Niſi ea, „ inquit Auguſtinus, (*d*) ex quibus Princeps Mun- „ di eiicitur foras? Non autem dixit omnes, ſed „ omnia; non enim omnium Fides. Non ita- „ que hoc ad univerſitatem Hominum retulit, „ ſed ad Creaturæ integritatem. „ Trahit ergo Filius integram ad ſeſe Creaturam. Cumque ejuſdem Creaturæ integritatem in eo noverimus eſſe ſitam, quo intelligimus, ideſt *Spiritus*; in eo, quo vivimus, ſcilicet *Anima*; in eo denique, quo viſibiles, & contrectabiles ſumus, *Corpus* videlicet: Verbum, quod miſſum eſt a Patre, et ſanavit nos; Spiritum noſtrum ab errore ad veritatem, Verbi anima noſtram Animam a morte ad vitam; Caro Verbi Carnem noſtram a corruptione traxit, traduxitque ad integritatem. Suaviſſima prorſus, et charitatis plena ratio, qua omnia ad ſe elatum e terra traxit Dominus fortiſſimo, et ineluctabili nexu dilectionis ſuæ, quo nobis Fratribus ſuis ſine peccato per omnia aſſimilatus eſt! Supereſt, ut Sanctum Spiritum per ſeſe ad Patrem, et Filium Electos Dei trahentem conſideremus. Spiritus Patris, et Filii, quo inſpirante loquuti ſunt Sancti Dei Homines, de ſe ipſe teſtatur per Oſæam Prophetam (*e*): *In funi-*

(a) *Jerem.* VIII. *v.* 15., *et* XXIII. *v.* 35.
(b) *Thren.* V. *v.* 1. (c) *Job.* XXXVIII. *v.* 13.
(d) *In Joan. Tract.* LII. *num.* 11. (e) *Oſee* XI. *v.* 4.

funiculis Adam trabam eos, in vinculis Charitatis. Vel si mavis legere cum Græcis; postquam paullo ante dixit: (*a*) *Et ego compedivi Ephraim*, paucis interjectis: *Extendi*, inquit *eos in vinculis Charitatis meæ*. Cujusmodi vero sunt isti funes Adam, quibus colligati, et compediti sumus a Spiritu Sancto Dei? Quæ sunt vincula Charitatis Divinæ, quibus ipse attraxit nos in dilectione perpetua, miserans nostri? Audi Doctorem Maximum Hieronymum Vatis verba egregie interpretantem: (*b*) „ Curavi eos, inquit ex Dei persona, „ propter funiculos, et vincula Charitatis, qui„ bus mihi Abraham, Isaac, et Iacob astrinxe„ ram. Pronum est autem intelligere Deum sibi astrinxisse Abraham vinculo fidei, quo traxit eum de Cognatione sua in Terram visionis, in qua videret diem Christi, et gauderet: copulasse sibi Isaac in spe cælestis benedictionis, eo quod in ipso vocatum sit Abramo Parenti suo semen, in quo benedicerentur Nationes: dilexisse denique Jacob funiculum hæreditatis suæ. Quapropter fide, spe, et charitate quasi vinculis suis, sic tra. hit Spiritus Domini Filios Columbæ, quos ipse novit; ut quos antea contractos velut perfidiæ frigore invenit, fidei calore distenderet; et eos, qui quidem non intellexerant, quod patientia Dei operatur probationem, et spem, quæ non confundit, ligatos per patientiam eamdem suis veluti brachiis contineret, et portaret in humeris suis; quosque demum repugnantes, & rebelles offenderat, vinculis adstringeret dilectionis suæ,

(a) LXX. *Habent*: καὶ ἐγὼ συνεπόδισα τὸν Ἐφραὶμ .... ἐξέτεινα αὐτοὺς ἐν δεσμοῖς ἀγαπήσεώς μου.

(b) *Comment. in Osee Lib. 3, pag. 155. Edit. sup. cit.*

ſuæ, cunctanteſque in obſequendo ſibi alapis quibuſdam, ceu Pater Filios excitaret, caſtigando, et flagellando receptos, et venientes ad ſe ita, ut verberati leniter Filii reſpicientes ad Patrem, et clamantes ad Dominum de peccati, Legiſque ſervitute emancipati, facti Juſtitiæ Servi vindicarentur in Dei Filiorum libertatem. Sed quid miramur, Sanctum Dei Spiritum allicere, atque trahere ad ſeſe Sanctos ſuos, cum magis multo ſit illud admirandum, quod non modo accerſat, non modo pertrahat, ſed impellat, ſed urgeat inſpirationis ſuæ pondere prorſus divino? Quod ſi res non ita ſe haberet, eſſetne cur Dominus tantopere Nicodemo ingereret Spiritus vim, et libertatem, quum dicit: (*a*) *Spiritus ubi vult ſpirat, et vocem ejus audis; ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat?* Id, quod de Spiritu Sancto, non de Aeris hujuſce noſtri elemento intelligendum eſſe omnino confirmant Doctores ſummi Ambroſius, (*b*) et Auguſtinus (*c*) Eſſetne cur Apoſtolus Corinthiis ſe à Spiritu Sancto urgeri tam aperte aſſeveraret, quum eiſdem ſcribit: (*d*) *Charitas Chriſti urget nos?*

Confectum eſt igitur, ni fallor, quod initio ſuſceperam demonſtrandum. Diſcimus ex utriuſque Fæderis veritate Patrem trahentem, cum docendo delectat; Verbum Patris trahens et ipſum, quum perfecte ad ſui imaginem integrat rationalem Creaturam, Spiritum Patris, et Verbi Charitatis ſuæ vinculis trahentem dicam, an ſpiramine ſuo ineluctabili impellentem, atque urgentem? Cumque illud alterum veriſſime fateamur,

(a *Joan.* III. *v.* 8. (b) *De Fide Lib.* II. *c.* 3.
(c) *In Joan. Tract.* XII. *n.* 7. (d) II. *ad Cor.* V. *v.* 14.

mur, quousque operatur Pater, et Filium operari; et quæcumque facit Pater, hæc et Filium similiter facere *(a)*: Spiritum autem, qui a Patre procedit, de Christo accipere, teste eodemmet Christo *(b)*: jam reliquum est, inseparabilia esse totius Sanctæ TRINITATIS opera; atque adeo hinc licere totam æstimare Trinitatem ad sese trahentem beatissimos, quos ipsa abditissimo proposito voluntatis suæ selegit, suimet ipsius comprehensores.

O magnam Gratiæ commendationem! Liceat hic mihi exclamare cum Augustino „ Nemo „ venit nisi tractus. Quem trahat, et quem non „ trahat, quare illum trahat, et illum non trahat, „ noli velle judicare, si non vis errare. Nondum „ traheris? Ora, ut traharis „ Utique ad te conversi, adoranda TRINITAS Deus noster, oramus, ut nos omnes trahas post te. Fatemur cum eodem piissimo Gratiæ tuæ Doctore Augustino *(c)* magna opus esse gratia, ut cum omnibus erroribus, amoribus, terroribus suis vincatur hic Mundus. Nunc, pro tua in nos tui adoratores misericordia, et clementia, trahe nos invictissime ab errore ad veritatem, ab nostris amoribus ad tui charitatem, de terroribus Sæculi ad æternam Regni tui pacem, et suavitatem *(d)*, *O æterna Veritas, o vera Charitas, o chara Æternitas!*

(a) *Joan.* v. *v.* 17. *et* 19. (b) *Joan.* XVI. *v.* 14.
(c) *De Corrept., et Gratia C.* XII. *n.* 35.
[d] *Confess. Lib.* VII. *C.* 10.